

Ad poetas Latinos exegetica.

I. LVCILIVS apud Non. 201 XVI 8 p. 70 M. (379 B.):

'hoc longe est aliud' inquit qui cepe serebat

proverbium ni fallor in usum suum convertit ἐπιλόγῃ illustratum, sicut notum illud Theocriti 'ἔνδοι πᾶσαι' ὁ τὰν νυὸν εἶπ' ἀποκλῆξας, Cratini (fr. 252) 'ταῦτ' αὐτὰ πράττω', 'φασκ' ἀνὴρ οὐδὲν ποιῶν, Petronii (45): *'modo sic, modo sic' inquit rusticus; varium porcum perdiderat* (cf. Haupt. op. II 395 et quae composui *Anall. ad paroem. 74*). Sed truncata est sententia, nam *aliud* illud quo spectet ignoramus. Cepae quasi fratris loco habetur allium, nec desunt locutiones et proverbia quibus coniunguntur ut simillima pariterque vilia. Cf. Eupol. apud Polluc. IX 47 = fr. 304 p. 339 K. περιῆλθον εἰς τὰ σκόροδα καὶ τὰ κρόμμυα (i. e. ad locum ubi caepe et allium prostabant), proverb. Byz. apud Apostol. 1708 p. 718 L. χαίροις Ὑψιπύλῃ φίλῃ· τοὺς ἐμοὺς κόρυμβους πλέκω· ... ἢ παροιμία τάττεται ἐπὶ τῶν λεγόντων ἁσύμφωνα καὶ ἀκατάλληλα· ὁμοία τῇ· ἐγὼ σκόροδά σοι λέγω, σὺ δὲ κρόμμυ' ἀποκρίνῃ (cf. Arsen. 548^a p. 376), Planud. prov. 248 (250) σκόροδα μὲν ἡρωτάτο, κρόμμυα δ' ἀπεκρίνατο (cf. huius Musei vol. XLII 422), Colum. X 314: *allia cum cepis, cereale papaver anetho | iungite, dumque virent nexos referte maniplos* |, venales scilicet in urbem ad macellum. Denique *cepu*las et *allium* eodem anni tempore seri auctor est Palladius III 24, 1 sq. Hinc post *serebat* ad exemplar Petronianum supplendum fere esse conicio: *aliu*m adindiderat (vocabulo Catoniano) vel *ademit*¹. Vides qua in re lateat acumen: *longe aliud* esse dicit rusticus quod fere idem est; nam *āliud* et *ālium* formis eum ludere vix probabile.

II. CATVLLVS LXVIII^a 15 sqq.:

- 15 *Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est
iocundum cum aetas florida ver ageret,*
17 *multa satis lusi: non est dea nescia nostri
quae dulcem curis miscet amaritiem.*
*Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
abstulit ...*

¹ Cf. K. Eichwald, *Niederl. Sprichwörter*³ 1114 p. 47.

Versus ultimi explicatio adhuc sub iudice. *Curis* illud 'amori' casu dativo interpretatur Riesius p. 222. Sed ne *amoris* quidem *curis* recte opponitur *amarities*, siquidem 64, 74 *sancte puer curis hominum qui gaudia misces* ipse Catullus *gaudia* eis opposuit; atque quotiescunque amoris illud γλυκύτικρον descripsere poetae, semper duas res inter se contrarias, velut *dulce* et *amarum*, *mel* et *fel* (Plaut. Cist. I 1, 71, Anacr. 28 [27], 659¹) coniunxerunt, nunquam adpersere tertiam illam quam hoc loco addi faciunt *dulcedini* et *amaritudini*: unde olim ego, cum ne ablativa quidem *curis* vocabuli notio satis apta videretur, *mystis* tentavi vel *mustis* (in ephemeridibus *litterar. Centralbl.* 1885, 36, 1234). Idem fere sensit Aemilius Baehrens commentarii p. 496, cum *curis* amaritiem misceri posse negat atque *vitis* conicit, ut dicat poeta: '*quae in vitas hominum misces curas et gaudia*'. Sed quemcumque ducem sequeris, non habebis quo *hoc studium* — Veneris scilicet et Musarum (v. 7. 10) vel laetae poeseos — apte referas.

Omnes nimirum lapsi sumus in explicando ipso illo vocabulo quod est *curis*. Nam *lusi* v. 17 recte iam dudum rettulerunt ad carmina amatoria quae casu oppressus acerbo amicus cui inscripta sunt elegia ista a Catullo petiverat. Iam μελέτην apud Graecos non modo curam esse scis, sed etiam *opus cura et arte factum*; eadem ratione MARTIALIS (poetae veteris memor, ipsius fortasse Catulli) I 107, 5 *curas* appellavit *carmina curiose elaborata*:

condere victuras temptem per saecula curas

*et nomen flammis eripuisse meis*²,

atque Ovidius *ex Pont.* IV 16, 39:

essent et iuvenes, quorum quod inedita cura est

adpellandorum nil mihi iuris adest.

Hanc igitur³ si Catulliano loco vindicamus notionem, nihil restat

¹ Cf. Philol. I (XLVII) 241, ubi etiam Catulli locum tetigi.

² Totus locus (cf. quae conguessit Friedlaender ad epigr. I 25, 7) cantorum Euphorionis sapit artem (cf. Catull. 95, 6 *Zmyrnam cana diu saecula pervolvent*, | *at Volusi annales Paduam morientur ad ipsam*, Cinna fr. 4 p. 87 M. [324 B.] *saecula permaneat nostri Dictynna Catonis*); itaque *curas* quoque ab eis repetitum esse probabile est.

³ *Catalepton* V (VII) 6 *tuque o mearum cura, Sexte, curarum* huc referre dubito, quamquam παῖδικά scripsisse videtur poeta adolescens, cf. praeter *Vitae* testimonium versum 14, ubi Camenas *pudenter* ut se revisitent supplicat, et *formosos* v. 7 laudatos: quae inepte coniecturis oblevit Baehrens. Contra certissimum exemplum Taciti locus est *Ann.* VI 11: *quorum in manus cura nostra venerit* (minus certum *Dialogi* cap. 3 *dimissa priore cura*).

quod offensioni esse possit: Venus, altera illa Catulli Musa, *curis*, i. e. versibus, quos *flammeos medullitus* propinat poeta, *dulcem amaritiam admiscet* quasi vini poculo, cf. v. 9 sq.

id gratum est mihi me quoniam tibi dicis amicum

muneraque et Musarum hinc petis et Veneris:

quo de loco post alios bene commentatus est Riesius p. 220. *Hoc studium*, quod adhuc offensioni esse supra monui, vides quam bene hinc explicetur.

III. HORATII carmen primum non sublimi adscribendum esse generi, sed σπουδογελοῖω¹ nulla re magis probatur quam versu qui ab Hermanno (*Opusc.* VIII 399 sq.) aliisque iniuria deletus est ultimo: *sublimi feriam sidera vertice*. Haec enim e noto versiculo comici cuiusdam poetae expressa videntur, cf. Synes. ep. 79 p. 224 C (687, 30 Hch.): ὁ Βερρονικεὺς Ἀνδρόνικος ἀποφράς ἀνθρώπος. . . ὃς εἰ μὲν ἐμοῦ καταφρονεῖ, πρᾶγμα οὐδὲν, ἀλλ' αἰσχύνεσθαι μοι δοκεῖ καὶ τὰ θεῖα τιμῆσαι· οὕτως ἀράσσει τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανόν (= *CAF.* III p. 505, fr. 531)²; addo Aristae. ep. 11 p. 143 Hch.: ἦσθη ταῖς μαρτυρίαις καὶ ὑφ' ἡδονῆς παντοδαπὰ χρώματα παρ' ἕκαστον λόγον ἠφίει καὶ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο ἐδόκει τῇ κεφαλῇ ψαύειν τοῦ οὐρανοῦ³. Comicus ille cum ἀράττειν pro ψαύειν substituit, imaginem proverbialē μετερρῦθμισε εἰς τὸ γελοϊότερον; inde *feriam* illud, quod nemo dum explicavit, ab Horatio translatum. Intellegis quo iure Rosenbergius (*Die Lyrik des Horaz* p. 80) dixerit: *Wir werden es dem Dichter nicht verargen, dass auch er einmal in seiner Seligkeit den Flug bis zum Sternenzelt nehmen will*. Quamquam ne Kiesslingius quidem hoc loco poetae iocum satis festive interpretatus est immemor exemplarium Graecorum⁴.

¹ Sensit hoc qui nuperrime Horati carmina luculento commentario instruxit Kiesslingius I p. 1; cf. etiam Oesterlenum '*Komik bei H.*' II 63. Ipsae longae illae quibus initium carminis decurrit ambages ferri non possunt in opere serio; similia invenies apud Martialem (I 41. 49. 51 etc.) et in 'praeambulis' medii aevi.

² De eodem homine idem exemplar secutus ep. 57 p. 198 A (668 Hch.): αὐτῷ διακυρίττεται τῷ θεῷ . . . τοιοῦτόν ἐστι φύσις ἀπαίδευτος . . . τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανὸν ἐξαράσσειν ἐπιχειρεῖ.

³ Serio de diis dixerunt Callimachus VI 59 κεφαλὰ δὲ οἱ ἄφατ' Ὀλύμπῳ, Nonnus XLV 135 νύσσων ἡερίων νεφέων σκέπας, de hominis sorte Aeschylus fr. 159 οὐρανῷ κυρῶν ἄνω; cf. etiam Verg. *Aen.* III 620.

⁴ Kiesslingius ea qua par est diligentia Graecorum poetarum locos ubique adscripsit, e quibus aut poeta ipse colores suos traxerit, aut

IV. Epodi IV verba ultima *Quid attinet tot ora navium gravi | rostrata duci pondere* variis vexata sunt coniecturis, ex quo Bentleius *ora rostrata* proscripsit. Recte qui nuper Horatii carmina ediderunt plerique omnes servaverunt quod traditum est; sed nemo quod sciam fontem aperuit, unde illa locutio sit deducta. Iam apud Athenaeum XI p. 501 D Asclepiades Myrl. φιάλης πρόσ-ωπον ita commemorat, ut volgarem hunc usum Graecis fuisse appareat; πρόσωπον νεώς eadem ratione Achilles Tatius dixit III 1, 2: quae eo illustrantur et confirmantur, quod Graeci vasa potissimum et naves oculorum simulacris exornabant¹. Graecam igitur consuetudinem secutus videtur poeta.

V. In carmine foedo horrendoque *Epod. V* puer quem sacrificaturae sunt sagae ita terrae *infossus* describitur, ut *promineret ore quantum exstant aqua | suspensa mento corpora*². Certum hunc fuisse ritum magicum inde videtur probari, quod Proculus in theol. IV 9 p. 293 tradit τοὺς θεουργοὺς θάπτειν τὸ σῶμα κελεύειν πλὴν τῆς κεφαλῆς ἐν τῇ μυστικωτάτῃ τῶν τελετῶν (locum cuius nunc adeundi non habeo facultatem Lobeckio debeo). Nam Proclum recentes magorum superstitiones et *deliramenta* respicere Lobeckius evicit Aglaophami p. 114 sq.: quorum ex arcana doctrina homo ad artis normam immolatus post mortem daemon fit atque ei qui immolavit adest famuli servique loco (Liebrecht *zur Volkskunde* 284 sqq. [addo Froehnerum *krit. Analekten*, Philol. Suppl. V p. 86]). Ceterum totum hoc superstitionum genus novo insperatoque lumine inlustratur papyris magicis cum cura editis et explicatis: cf. Albrechtum Dieterich in supplemento sexto decimo annalium Fleckeiseni p. 784 sqq. 792.

auctor nescio quis μεσιτεύων. Verum, ut vides, sunt quae addi possint; atque ne minima quidem (velut Alcaei 30 τὸ γὰρ Ἄρει κατάνην κάλον, quod non invenio apud Kiesslingium ad *carm.* III 2, 13, vel Aesop. 274 Fur. 383 H., quod deest I 16 p. 65) supervacanea sunt aut molesta, dummodo recte eis uti calleas. Fluessii quidem et si qui sunt similes (cf. Oesterlenum l. s. s. II p. 8 sq.) nescio utrum nolint uti an non possint.

¹ Cf. Philostr. *Imagg.* I 18: (ναῦς) βλοσυροῖς κατὰ πρῶταν ὀφθαλμοῖς οἷον βλέπει. De artis monumentis cf. A. de Rohden apud Baumeisterum, *Denkm. d. Altth.* III 1977 et Assmannum ibid. 1598 sqq.

² Iocosam non esse imaginem veris horridisque coloribus pictam vel ultima illa verba testantur quibus puer dira imprecatur strigibus impiis. Sed Horatium ipsum sibi non constituisse insimulare maluerunt, quam opinionem praeiudicatam nulloque fere indicio firmatam abicere (cf. Schuetzium in append. et Oesterlenum *Komik und Humor bei Horaz* II p. 110).

VI. *Epod.* VI hominem improbum invehitur poeta:

- 1 *Quid inmerentis hospites vexas canis
ignavus adversum lupos?*
*quin hic inanis, si potes, vertis minas
et me remorsurum petis?*
- 5 *nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon...*
- 7 *agam per altas aure sublata nivis
quaecumque praecedet fera.*

V. 2 *lupos* vocabulo se ipsum designasse poetam nuper fuerunt qui contenderent, graviter iidem illum accusantes, quod mox *canem* venaticum se esse faceret duabus imaginibus confusis¹. Sed huius culpa ab interprete ipso commissae poeta est immunis: nam *lupos* oppositos *inmerentibus hospitibus* non ipsius poetae probi fortisque imaginem esse, sed *merentium* i. e. noxiorum hominum, quivis concedet semel monitus². Neque vituperandus est poeta quod v. 11 sq. *in malos asperrimus | parata tollo cornua* translationem per decem versus bene servatam omisit, locutione usus fere proverbiali: cf. praeter locos Horatii et Apul. *Apol.* 81 Ps.-Diog. 689 p. 302 Gott.: πρὸ τούτου σ' ὄμην (ὀόμην Meinek.) κέραι' ἔχειν· ἐπὶ τῶν ἀνδρείας ὑπόληψιν ἐχόντων (= Com. inc. fr. 628 p. 521 K.). Certe in argumento simili idem commisit Leonides, qui haud scio an ex eisdem fere exemplaribus atque Horatius colores quosdam duxerit, Anthol. Pal. VII 408: ἀτρέμα τὸν τύμβον παραμείβετε, μὴ τὸν ἐν ὕπνῳ | πικρὸν ἐγείρῃτε σφῆκ' ἀναπαυόμενον. | ἄρτι γὰρ Ἱππώνακτος ὁ καὶ τοκέων καταβαύξας | ἄρτι κεκοίμηται θυμὸς ἐν ἡσυχίᾳ: ubi Hipponax (cf. Bupalum Horatii v. 14) vespae persona in scaenam inductus βαῦζει κυνὸς φωνῇν ἵεις (Lyr. inc. 26 p. 695 Bgk.).

VII. OVIDIVM *Metam.* III 675 cum *squamas traxisse* dicit Tyrrhenos³ falso illas ad delphinum transtulisse insimulant interpretes, piscem non squamosum. Sed delphini nomen nusquam legitur apud poetam: nescio igitur cur vitio ei vertant quod consulto videtur vitasse.

V. 681 sq. Tyrrheno mutato *falcata novissima cauda est* |

¹ Oesterlen l. s. s. I 111.

² *Lupos* non *fortes* haberi, sed *rapaces* crudelesque vix est quod moneam, ubi et proverbia fabulaeque et ipsa rerum natura testes tibi praesto aderunt.

³ Fabellam Ovidianam breviter enarravi et cum Hygini composui *Philol.* II (XLVIII) 220 sq.

qualia dimidiaae sinuantur cornua lunae. Eadem fere eandem fabulam narrans SENECA *Oedip.* 469 sq.: *Et dorso fluctum cavo subit, lunata scindit cauda mare*: unde praeter alios auctores etiam Ovidio eum usum esse conicias (cf. *Philol.* n. s. II [XLVIII] 225). Sed eundem colorem Tyrrhenorum imagini adpersit Philostratus *Imagg.* I 18, 2, ubi navis *μηνοειδής* appellatur, *καθάπερ τὰ τελευτῶντα τῶν ἰχθύων*. Mira σύμπτωσις, quae sitne solo casu effecta vehementer dubito. Quamquam qui de auctore vetusto Ovidio Senecae Philostrato communi hinc capiat coniecturam, noctu quod aiunt iter facit.

Item in hymno Bacchico Orphicis non dissimili a quo incipit *Metamorphoseon* liber quartus (v. 10—30) verba quae sunt *bacchae satyrique sequuntur | quique senex ferula titubantes ebrius artus | sustinet* memoriam mihi excitaverunt Philostratorum I 18, 1: *γύναϊά τ' αὐτῷ ὁμαρτοίῃ Λύδια καὶ σάτυροι καὶ αὐληταὶ καὶ ναρθηκοφόρος γέρων*. Sed ne hoc quidem loco, praesertim in re tam volgata, ea est similitudo, quae de fonte communi cogitare nos cogat.

VIII. Ad *Met.* IV 435 450 sqq. 519 quae in Fleckeiseni annalibus (135 [1887] p. 243) exposui de necessitudine inter Ovidium et auctorem Plutarchi (*De prov. Alex.* 5 sqq.) intercedente nolo repetere.

IV 742 Perseus Andromeda servata manus *abluuit unda anguiferumque caput dura ne laedat harena, mollit humum foliis natasque sub aequore virgas sternit et imponit Phorcynidos ora Medusae.*

Virga recens bibulaque etiamnum viva medulla

745 *vim rapuit monstri tactuque induruit huius... at pelagi nymphae factum mirabile temptant pluribus in virgis et idem contingere gaudent...*

750 *Nunc quoque curialiis eadem natura remansit duritiam facto capiant ut ab aere, quodque vimen in aequore erat, fiat super aequora saxum.*

Virgae igitur *tactu monstri* induruerunt atque *curaliis eadem natura remansit*. Ad hunc locum neque in commentariis Heinsii neque in sexta Hauptiana (1878) adscripti sunt Orphei personati versus simillimi, ubi Perseus Gorgone interfecta

... αἰγιαλόνδε φόνῳ πεπαλαγμένος ἦρως
ἐλθὼν, εἰσοκε λύθρον ἀποπλύνειε θαλάσση,

560 θερμὴν ἐξ ὁμάδου κεφαλὴν ἔτι καὶ τρομέουσιν

(555) Γοργεῖν κατέθηκεν ἐπὶ χλοεραῖς βοτάνῃσι.

- Ὅφρα δ' ὄγ' ἐν δίνησιν ἀναψύχεσκε θαλάσσης
 στείχων ἔκ τ' ὀλοοῖο πόνου δολιχῆς τε κελεύθου,
 τόφρα δὲ πορφυρέοιο διαινόμενοι κορέσαντο
 565 αἵματος οἱ ῥα κέχυντο χαμαὶ ὑπὸ κράτι θάμνοι.
 (560) Ἀμφὶ δ' ἄρα σφίσιν αἶψα θοαὶ πόντοιο θύγατρεις
 λύθρον ἐπεσσύμεναι θάμνοις περιπήγνυον αὔραι.¹
 πήγνυτο δ' ὥστε σε πάγχυ λίθον στερεὴν δίσασθαι...
 570 ἔκ δ' ὄλεσεν βοτάνης ὕγρὸν δέμας· ἀλλὰ καὶ ἔμπηξ
 (565) ὀλλυμένης πάμπαν βοτάνης οὐκ ὤλεσεν εἶδος.
 Τὴν μὲν ἄρα χροίην ἐξ αἵματος ἔσχεν ἐρυθρὴν,
 ἀμφασίῃ δ' ἦρωα λάβε θρασύν, ὥς ἐνόησεν
 ἑξαπίνης μέγα θαῦμα

Multo aptius hoc miraculum ipsam Gorgonis caedem
 excipere, quam Andromedam liberatam, nemo negabit. Singula
 quoque plana et perspicua sunt in Orphicis, mira apud Ovidium;
 cui illud potissimum damno est, quod color curaliorum omnino
 non explicatur. Itaque aut Ovidius aut auctor eius, cum priora
 Persei fata factaque non tangeret nisi in transcurso (775 sq.),
 μεταμόρφωσιν illam, quam pro operis sui consilio nolebat
 omittere, ad Andromedae fabulam transtulit ipsamque narrationem
 eo turbavit.

IX. Arbor aurifera Veneris Cypriae *Met.* X 649 apud
 Eriphum comicum *Melib.* 2 vol. II p. 427 K. commemoratur, ubi
 gloriosus quidam tria mala obfert virgini amatae, quae *aurea*
 appellari iactat ex pretiosissima esse — τὴν γὰρ Ἀφροδίτην ἐν
 Κύπρῳ | δένδρον φυτεῦσαι τοῦτό φασιν ἐν μόνον: cf. Philol.
 vol. XLVI 623. Nihil igitur novavit poeta Romanus Graecorum
 sectator studiosissimus.

X. Apud Ovidium *Metam.* XIV 260 sqq. Circe *sublimi solio*
 sedet *pallam nitentem* induta atque *amictu aurato* circumvelata;

- 264 *Nercides nymphaeque simul, quae vellera motis*
nulla trahunt digitis nec fila sequentia ducunt:
gramina disponunt...

Tecte fortasse Homerum aggressus est poeta v. 264, apud
 quem ipsa domina, dea illa et maga, ἰστὸν ἐποίχεται μέγαν
 ἄμβροτον (Od. κ 222) lanificarum et textricum more αἰδίδουσα
 ὅπτι καλῇ; cf. etiam Verg. Georg. IV 333 sq. *eam* (Cyrenen)
circum Milesia vellera Nymphae | carpebant.

¹ Similia fortasse legit nec satis intellexit Ovidius cum vv. 747
 750 scriberet.

XI. Iphis XIV 707 cūm Anaxaretæ *interdum madidas lacrimarum rore coronas | postibus intendit*, idem facit quod Asclepiades Anthol. Pal. V 145: Αὐτοῦ μοι στέφανοι παρὰ δικλίσιν ταῖσδε κρεμαστοὶ | μίμνετε . . . | οὕς δακρύοις κατέβρεξα' κάτομβρα γὰρ ὄμματ' ἐρώντων. Unde haud scio an Ovidius delictum illum colorem mutuatus sit.

XII. Ovidij versum MARTIALIS I 41 citat hunc:

Ride si sapis, o puella, ride.

Quem non recte cum Zingerleio ad hexametros artis amatoriae rettulit Friedländer p. 258. Nam hendecasyllabos Ovidianos lectitavit Quintilianus (XII 10, 75): quibus recte versiculum a Martiale traditum addidit Aemilius Baehrens *FPR.* p. 349. Similis Catulli est Phalaecus 56, 3 *ride, quicquid amas, Cato, Catullum.*

XIII. MARTIALIS I 1 v. 1 sqq.

*Hic est quem legis ille, quem requiris
toto notus in urbe Martialis
argutis epigrammaton libellis —*

ne verbo quidem explicavit qui elegantem nuper emisit poetae editionem; vetustiores autem qui ad manus mihi fuerunt interpretes ipsum librum significari indicant: quod utique ineptum est propter v. 3. Imaginem poetae in fronte libri pictam primo hoc epigrammate illustrari propter Friedlaenderi silentium breviter moneo, quamquam in re tam aperta ne acta agam periculum est¹. Cf. ipsum Martialem XIV 186: *Quam brevis immensum cepit membrana Maronem! Ipsius et vultus prima tabella gerit.*²

De primi libri epigrammatis CVII¹ versu quinto cf. quae monui in capite altero p. 449.

XIV. II 41, 10 poeta ad mulierem, cui *tres sunt dentes, sed* (cf. I 117, 7) *plane piceique buxeique:*

*Debes non aliter timere risum,
quam ventum Spanius manumque Priscus.*

Friedlaender ad *Spanius* nomen adnotavit: *vermutlich ein Kahlkopf, der das Haar von der Seite sorgfältig über die Glatze kämmte, und dann der Name wohl als bezeichnender gewählt.* Σπανοπύγων τις ὀνομάζεται apud Ionem ἐν τῷ ἐπαγραφομένῳ Συνεκ-

¹ Simili ratione epigramma Anthologiae Latinae I 37 R. ad pictum libelli titulum rettulit Ehwaldus *Philol.* XLVI 633. I (XLVII) 264.

² Imago poetae a Stertiniō in bibliotheca posita commemoratur in prooemio libri IX.

δημητικῷ (Poll. II 88) atque εἰς Τροιζήνα δεῖ σε βαδίζειν dicebatur ἐπὶ τῶν . . σπανοπωγόνων. Quid quod ipsum nomen proprium apud Graecos recentiores in proverbio fuit calvitiei; extat enim satura quaedam Byzantina Σπανός inscripta, cuius libri et manu scripti et typis expressi ipsum in fronte gerunt Spanum, hominem macilentum et capillis fere orbatum¹. Rem bene explicat fabulator Graecus Aes. 326 Fur. (410 H.) — Babrius teste paraphrasi Bodleiana 141 (140 p. 85 Ebb., 179 Gb.) —: Φαλακρός τις τρίχας ξένας τῇ ἑαυτοῦ κεφαλῇ περιθεῖς ἵππευεν· ἄνεμος δὲ φυσήσας αφείλετο ταύτας. γέλως πλατὺς δὲ τοῦς παρεστῶτας εἶχεν. Similis nisi fallor apologi Sybaritici, in quo Σπάνιός τις primas egerit partes, Martialis hoc loco et ipse fuit memor lectoresque memores fore sciebat.

XV. Martialis ubi cum adversariis rixatur *pusillum ingenium* ei exprobrantibus (cf. e. g. IV 50) plerumque epigrammatariorum Graecorum vestigia legit, qui inde a Callimacho Theocritoque illos *qui scribunt Priami proelia* atque *luteum faciunt Giganta* sale multo defricuerunt². Item epigrammatis II 77 acumen

*Non sunt longa quibus nihil est quod demere possis
sed tu, Cosconi, disticha longa facis*

haud scio an Graeco auctori debeat. Cf. Philemo 97 p. 508 K.:

τὸν μὴ λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἐν
μακρὸν νόμιζε κἂν δὴ εἴπῃ συλλαβάς,
τὸν δ' εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ' εἶναι μακρόν,
μηδ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλὰ καὶ πολὺν χρόνον:

quibus versibus iam Grotius praeter alia scite adposuit epigramma illud Martialis.

¹ In exemplari Martini Crusii, quod in bibliotheca Tubingensi nunc adservatur (Dk I 6, 40), margini primae pagellae haec adpicta sunt ipsius Martini manu: *Librum hunc D. Hierony. Viscer. 9. Nouemb. 1580. Venetiis scripsit, non esse in Hispanos ὑβριστικόν: sed σπανοὺς dici, quibus barba tenuis rarāque est. puto, χρῶμα esse Graecorum, Hispanos metuentium.* || *Et 23. Ianu. 1581 mihi D. Andreas Argyrus, Graecus, dicebat in mensa mea. σπάνος, est libellus in raram gerentes barbam, quia sunt astuti.* Item ascripsit ex *D. Gabriele Corinthio, 28. Iun. 1582* ad verbum ἐκ βαθέων ἐκέκραζας τοῦ δοθῆναι σοι γένειον: 'ὁ Σπανός ἀγένειος'. Similia passim glossemata ad marginem vel inter lineas Martinus adiecit hospitem Graeculorum interpretatione familiari naviter usus: quae isti qui linguam Graecorum recentiorum nunc illustrare conantur non sine fructu inspiciunt.

² Testimonia post alios composuit Gerckius huius Musei vol. XLIV (1889) p. 128 sq.

E simili fonte petatum videtur I 85, 3 sqq., cf. quae ad Amphid. *Ampelurg.* fr. 4. 5 adnotavi in Philologi vol. XLVI p. 615.

XVI. Subobscuri sunt versiculi V 77:

Narratur belle quidam dixisse, Marulle,

Qui te ferre oleum dixit in auricula.

Oleum ferre in auricula locutione caput delicate obliquatum depingi suspicatus est L. Friedlaender, sed ne ipse quidem sibi satis fecit, cum proverbialem eam videri addit et occultam fortasse nobisque ignotam continere significationem. Quam qui reperisse sibi videtur G. Gilbertus, vir de Martiali bene meritus (*auf einen mit reichlichen Ohrenausscheidungen gesegneten* epigramma compositum esse censet in *Fleckeiseni annalibus* CXXXV 145), vereor ne hoc loco poetae satis urbano iocum obtruserit Caecilio illo magis dignum quam Gabba Tettioque. Altius rem repetivit iam Erasmus *Chiliad.* I 5, 63 (p. 144 Bas. 1574): *in problematibus scripsit Aristoteles: aures aqua infusa offenduntur, oleo non item. quin si forte aqua in aurem inciderit, oleo infuso medemur, dum lubrica facta aure aqua defluit . . . hinc igitur videtur natum adagium, nempe a gestu eorum quibus est aliquid liquoris infusum: quod ne effluat, aurem supinant quasi aversantes et fastidientes audire. Neque tamen negaverim posse referri ad assentatores, qui velut oleum in aurem instillant, dum iucunda loquuntur . . . Cui diversum est Persianum illud: 'auriculas teneras mordaci radere vero'. Huc igitur pertinebit et illud evangelicum de venditoribus olei. Verum cui placet hic sensus posterior, In auriculam accusandi casu legat oportet [apud Martialem]. Quod quoniam et proverbii speciem prae se gerit etc. Deinde Gilbertus Cognatus Dresdensi et nomine et studiis coniunctus *Adag.* 964 p. 481 Bas. *oleum ore ferre* proverbium esse dicit *de assentatoribus et blandientibus*: quod utrum a popularibus suis, quos testes citare solet (cf. 961), receperit an hauserit ex *Chiliadibus* vel ex antiquo aliquo fonte non fatetur; sed bene addit: *oleum pro blanditiis palpoque etiam in sacris libris reperimus* (comparat *psalm.* 149 ἔλαιον ἁμαρτωλοῦ μὴ λιπανάτω τὴν κεφαλὴν μου, et *psalm.* 54, 23 ἡ παλύνθησαν οἱ λόγοι αὐτοῦ ὑπὲρ ἔλαιον: qui quidem locus maxime facit in rem). Neque tamen recte Martialis illa (quae corrigenda esse iure non largitur Erasmo) intellegit dici de eo, qui *assentatoribus et adulantibus aures patefaciebat*: is enim oleum auricula recipere aptius diceretur quam *ferre*. Mihi sponte sese insinuavit haec explicatio: *oleum ore ferre* si recte is dicitur, qui verbis blandientibus adulatur, tum *auricula oleum fert*, qui perattente*

alterum audiendo germanum se praestat assentatorem Theophrastei illius (*Char.* II) similem, qui λέγοντος αὐτοῦ τι τοῦς ἄλλους σιωπᾶν κελεύει. Itaque in ipso ultimo illo verbo aculeus inest, id quod brevibus epigrammatis multis est proprium, cf. I 10. 41. 95. 109, II 7. 13. 33.

XVII. Martiali IX 13, 7 *quod* (nomen) *pinna* scribente *grues* *ad sidera tollant* et XIII 75 *turbabis versus nec littera tota volabit* | *unam perdideris si Palamedis avem* solas Y vel V litteras esse Palamedicas censet Friedlaender cum Schrevelio: quod cur opinentur non magis assequor quam Gilbertus apud Fleckeisenum l. s. s. Certe non modo Philostratus, cuius testimonium ascripsit Friedlaender, sed etiam auctor περὶ εὐρημάτων apud Hyginum *Fabb.* 277 vetustissimas omnino litteras e gruum volatu explicat, *quae cum volant litteras exprimunt.*

XVII. APVLEI *De proverbii* librum unus CHARISIVS p. 240 K. commemorat, cum dicit: '*Mutmut non facere audei*', ut apud *Apuleium Platonium* — Madaurensē significat — *de proverbii scriptum est libro II.* Baehrens *FPR.* p. 378 inter poetica Apulei fragmenta titulum *de proverbii* cum paroemiaco illo recepit, quamquam ipsi utrum verba illa *ex antiquiore poeta sint sumpta an ipsius Apulei* dubium videtur. Apuleium docti paroemiographi munere functum esse ei facile persuadebis, qui qua ratione in *Apologia Floridis Metamorphosis* veteribus proverbii usus sit memoria tenebit; cf. ut pauca decerpam potius quam colligam *Apol.* 34 p. 54 Kr. *non enim ex omni ligno . . debet Mercurius exculpi* (Paroem. Gott. I p. 86), 56 p. 67 *manum non vorterim*, 69 p. 80 *mendacem memorem esse opertere*, 81 p. 90 *Eurybatus aut Phrynonidas* (cf. *Paroemiogr.*); *Florid.* VIII p. Kr. *ad limam et lineam, cum torno et cothurno*, XVIII p. 29 *ubi uber, ibi tuber*; *Met.* I 15 *cucurbitae caput non habemus*, II 18 *ungue latius*, III 22 *sponte asceam cruribus inlidere*, IV 9 *aureos folles incubare*, V 9 *cucurbita calviorem*, VI 18, IX 29 *ad armillum redit* (Lucil. l. XXVIII *Non.* 74, 13), VII 11 15 *ludis de alieno corio* (Sen. suas. 7, 13), IX 10, X 10 *afannas effutire* (quod luculenter nuper explicavit Ribbeckius *stud. Lips.* IX 338). Neque hercle haec studia indigna erant philosopho quamvis glorioso post Aristotelis et Chrysippi curas praeclaras. Mihi igitur minime dubium, quin veteris poetae sit κομμάτιον illud: cf. quod antecedit apud Charisium Lucilii fr. l. II 18 M. (64 B.)

V 37 M. (175), et Eanium apud Varronem *De l. l.* VII 101 (inc. 10 M., 370 B.): *neque ut aiunt mu facere audent*¹.

XIX. In poetarum Romanorum fragmentis quae nuper conlegit Aemilius Baehrens frustra quaesivi PITHOLAI vocem a MACROBIO II 2, 14 servatam: *M. Voltacilius* (*Votacilius* codd.) *Pitholaus cum Caninius Revilus uno tantum die consul fuisset, dixit 'ante flamines nunc consules diales fiunt'*. Pitholaum carminibus maledicentissimis Caesaris existimationem lacerasse Suetonius testatur *Caes.* 75 eundemque levem illum quem Pitholeontem vocat Horatius *Sat.* I 10, 22 epigrammaticum esse consentiunt interpretes. Iam sicut paucis paragraphis interiectis duos Ciceronis trimetros eidem misello illi consuli inscriptos Macrobius apophthegmatis specie indutos nobis servavit (II 3, 6 *dicere praeterea non destitit* [Cicero]: *'vigilantem habemus consulem Caninium* [FPR. p. 304]), ita etiam Pitholai verba illa, quae rhythmico quodam motu ingredi facile observabis, epigrammatis iambici frustula esse conicio:

~ ~ ~ ante flámines, nunc cónsules
fiúnt Diales ~ ~ -- ~ ~ --

XX. Aliud nisi fallor fragmentum poeticum servavit QVINTILIANVS VII 21: *cui* (αἴνῳ vel apologo) *confine est παροιμία* illud genus, quod est velut fabella brevior et per allegoriam accipitur: *'Non nostrum'* inquit *'onus'* bos clitellas * * *Proximas exemplo vires habet similitudo* ... Ita olim locum saepe tentatum constitui *Anall. ad paroem.* 75³. Sed unde haec hausit Quintilianus? Graecum eum fontem adisse vix credas, nam etsi tota disputatio rhetorum Graecorum enchiridia redolet, ipsa tamen exempla pleraque e Romanorum scriptis petita sunt (velut ex Horatii saturis fabula quae antecedit). Erasmus *Chil.* II 9 84 p. 476 eumque secuti vetustiores Fabii interpretes ipsum Ciceronem *ad Atticum* V 15 *'clitellae bovi sunt impositae: pláne: non est nóstrum onus'* (pall. inc. fr. 79 scaen. II² p. 122 Rbb.) illum consuluisse (sicut Ammianum Marcellinum XVI 5) satis confidenter adfirmaverunt. Verum sententiae illorum subscribere dubito, cum Quintiliani verba a pristino exemplari propius abesse videantur, quam comici illa satis deflexa². Legimus enim apud Diogenianum Pan-

¹ Locum nondum persanatum alia ratione olim tentavi atque editores: *a quo idem* ('mu') *dicit id quod minimum est.* 'neque etc.

² Idem sensisse videtur Ribbeckius *Com. Rom. fr.* p. XLVIII Graeco exemplari non adiutus.

tini 609 p. 288 et Macarii 675 p. 209 Gott. 'οὐκ ἔστ' ἐμὸν τὸ πρᾶγμα, πολλὰ χαιρέτω¹. ἐπὶ τῶν ἀπραγμόνων ('Diog.' Pant.). σοφῶς ὁ βοῦς ἔφασκεν ἀστράβην ἰδὼν· οὐ προσήκειν αὐτῷ τὸ σκεῦος ('Diog.' Macar.): nam haec ita coniungenda esse, ut alter trimeter inlustret alterum, nemo opinor infitiabitur¹. En tibi fabellam breviorē Quintiliani. 'At e Graeco fonte haec eum hausisse ipse negasti'. Pernego equidem, nam audire mihi videor Latini poetae qui Graeca illa in usum suum converterit versiculos ionicos (glyconeos?) vel hexametros, Ennio Lucilio Varrone illos non indignos:

'non nostrum' inquit 'ονύς' bos | clitellas <adhibénti>,
 — — — — — | — — 'non nostrum' inquit 'onus,' bos,
 clitellas<spectans> . . .

Nam longae illae syllabae quamquam arte, non casu videntur congregatae, tamen quos expleant numeros certo definiiri nequit. De sententia ne vel umbra dubitationis remaneat, eandem bovis personam esse moneo in fabula Babriana 35, ubi βοῦς ἀρότης ab asino interrogatus, τίς ἄξει τῷ γέροντι τὰ σκεύη; respondet 'ὄσπερ εἰώθει' (i. e. asinus). Asinum clitellas ferentem produxit Phaedrus I 15. Vides alterum nos recuperavisse exemplum proverbiorum epilogo ornatorum, de quibus in capite primo p. 448 paucis disputavimus². Iam igitur quasi gyro peracto subsistat disputatio.

Tubingae.

O. Crusius.

¹ Versus disiunctos Kockius anonymis comicorum fragmentis inseruit vol. III fr. 563. 554 (cf. quae exposui *Goett. gel. Anz.* 1889, 5, 172). Cui sententiae Ciceronis locus, quem primus comico tribuit Orellius (perperam idem Caccilium odoratus), tantum abest ut patrocinetur, ut prope obnitatur: videmus enim, quam scite fabellam ipse rei adaptaverit poeta scenicus. Cogitari quidem potest talia narrata esse in comoedia, sicut narrata inveniuntur apud Aristophanem: sed versiculi isti cum certo generis comici indicio careant, inter ἀμφισβητήσιμα sunt relegandi.

² Ita quae sagaciter divinavit Ribbeckius l. s. s. p. 123 certo testimonio nunc rata fiunt.